

2733

H O M I L E T I C I.

2734

na et gratia dei ad summam perfectionem proficientem. Et describit humanam naturam tamquam dominam utpote que omnibus rebus seculi debet dominari. Virtutes autem describit tanquam virgines pulcherrimas. utpote que alios ad perfectionem perducant. Hunc autem tractatum nos textualiter ad compendium redigimus ut possit spiritualia sapientibus per modum hystorie recitari. Procedit ergo quasi sub simili sensu. Natura humana a deo naturata considerans corruptionem et imperfectionem suam &c. Et finit: et in regnum suum captivam duxit captiuitatem cuius regni non erit finis in secula seculorum Amen.

DCCLV.

363 Codex membraneus lat. Sec. XIV. et partim XIII. Folior. 52. f. priori parte per 2. columnas, posteriori lineis longis exaratus, rubricisque distinctus exhibet: I. Narratiunculam de Sermone *F. Jordani* habito cum malo Daemone de claritate vultus Dei, quae incipit: *Cum magister iordannus quadam die dominica transfret uillam in francia rogatus a populo fuit ut uisitare mulierem obsessam &c. Jordanum hunc Saxonem habeo Ordinis Praed. alterum a B. Dominico Magistrum, de quo multa in Actis SS. T. II. Febr. ad diem 13. et in Quetisi Scriptt. Ord. T. I. p. 93. Utrobique tamen Dialogus noster desideratur.*

II. a fol. 1. Sequuntur Sermones III. ἀδελφοί. Primus de Parasceue incipit: *Respice in faciem*

christi tui. Ps. Consuetudo est quod quando pauperes et mendici. esurientes et nudi debiles et infirmi iuxta uiam sedent &c. Alter de Penitentia et remissione incipit: Qui non accipit crucem suam et sequitur me. non est me dignus. Mat. X. legitur in ueteri testamento in libro numeri. CXX. Quod cum populus israel exiret de terra egypti &c. Tertius inscriptus Tractatus de cena domini incipit: Legitur in apoc. XIX. c. quod beatus Iohannes uidit angelum stantem in sole qui clamauit uoce magna &c. Non sunt infimae notae, minime vero Primus.

III. fol. 16. Incipit Prologus in libro de uita beate elyzabet. Initium: *Cum de uita ac moribus et morte miraculisque beate elyzabeth perscrutari cepissem &c. Est haec Elisabeth Andreae II. Hung. Regis filia, Ludovici Pii Thuringiae et Hassiae Landgravii uxor, quae Marito quinquennio superstes a. 1231. uivis exempta et a Gregorio IX. a. 1235. Sanctorum Albo inserta est. Vitae illius, quam in VIII. Libros diuisam prae manibus habemus, Autor est Theodoricus, vel, ut Codex noster legit, Ditbricus O. P. Thuringus, quem non sat firma ratione a Theodorico de Apoldia ejusdem patriae, aevi et instituti distinctum cupit Quetifus in Scriptt. Ord. T. I. p. 414. qui et p. 453. locum ejus natalem Apolda Weilani appellat, fortasse, quod alicubi Apoldsweil vel Apoldsweiler legitur. Primus lucubrationes ejus etulit Henr. Canisius T. V. antiq. Leß.*

P 2

Leß.

2735

C O D I C E S

2736

Leß. P. 2. p. 147. Inde Jac. Basnagius curis secundis T. IV. p. 113. repraesentavit. Fallitur enim *Fabricius* aut *Schoettgenius* *Bibl. med. Lat. L. XIX. p. 225.* dum *Elisabethae* Vitam, quam *Surius* ad 19. *Novemb.* edidit, quaeque *Jacobi Montani Spirensis* est, hanc nostram putat. Post hos *Supplementa* quaedam dedere *Lambecius* e *Cod. Caes. L. II. p. 878.* edit. *Kollar. col. 782.* et *Burc. Gottb. Struvius* e duplici *Tenensi Actor. literar. T. II. fasc. 1.* Demum amicissimus mihi *Georg. Prayus* Regni *Hung.* Historiographus Exemplar a *Lambecio* delibatum, *Tyrnaviae 1770.* integrum a. juris publici fecit, locis, quibus a *Canisiano* abit, folerter adnotatis. Ubi mirari subit, Viro docto a nemine eorum, qui tunc Bibliothecam *Caes.* curabant, indicatum esse alterum hujus Vitae Exemplar, id scilicet, quod hic prae manibus habemus, quod, ut cum *Canisiano* plurimum conspiraret, passim tamen lectionem variam, et sub finem *Miraculorum Elenchum* subpeditasset, qui ab aliis memoratis Exemplaribus abest, et inscribitur: *Hec sunt miracula de beata elyzabeth. Post obitum vero beate elyzabeth dominus ad suam gloriam multa et magnifica ad sepulchrum eius fecit miracula que etiam domino pape (Gregorio IX.) per magistrum sunt transcripta Conradum. Conradus hic est de Marburg pariter O. P. cujus Relationem habes in Leonis Allatii Συμπυκτοῦ L. I. p. 269.* sed ibi enumerantur *Miracula*

XXXIV. in *Cod.* vero nostro tantum XVIII. idque succinctius.

IV. fol. 36. In *Parasceue sermo.* Initium: *Homo quidam descendebat ab ierusalem in iericho — In uerbis istis mystice possumus et spiritualiter tria considerare &c.* Autor non additur, neque de eo laborandum.

V. fol. 39. manu *Sec. XIII.* Incipit *Passio sancte Katerine uirginis.* Initium: *Tradunt annales hystorie quod constantinus qui gubernacula imperij a patre constantio suscepit. quod uno et triginta annis moderator egregius tenuit: pacem ecclesiis post decem annos quibus a persecutoribus uexabatur indulgit. Hic constantinus cum rem publicam strenue in galliis procuraret: pretoriani milites rome maxentium herculij filium qui priuatus in lucania morabatur. augustum nuncupauerunt. Inde inter constantinum et maxentium bellum ciuile exortum est. Maxentius siquidem prelio fugatus Alexandriae partibus se recepit. Audiens autem constantinum intra illiricum sinum bellis undique consurgentibus detineri. ipse repentina rabie incitatus ecclesiam christi zelo idolatrie persequi instituit. et ad profana sacrilegia christianos aut premiis aut tormentis incuruare. Atque deinceps Narratio re cum Actis conspirat, quorum Exemplaria tria Graeca autore *Sim. Metapbraste* ex *Aug. Bibliotheca* sistit *Lambecius L. VIII. p. 226. 282. et 340.* *Latina* apud *Lipomanum P. II. et Surius* ad diem 25. *Novembr.* leguntur, quamvis dictio longe sit alia.*

2737

H O M I L E T I C I.

2738

alia. Sed et finis ab *Editis* abit. Postquam enim dictum fuisset Martyris corpus ab Angelis in montem *Sinai* asportatum, subditur: Quo in loco innumera ad laudem dei fiunt miracula. Inter quæ et hoc unum constat insigne miraculum: quod de sepulcro ipsius riuus olei indeficienter manare uidetur. Nam et de minutis ossibus que de sarcophago cum oleo effluunt. ubicunque asportantur. salutaris olei liquor stillare non desinit. ex quo peruncta debiliū corpora celeris medicine opem reportant. Passa est ergo beata *Katerina* mense *novembrio*. uicesima. V. die. feria. VI. hora tertia. seruans uidelicet diem et horam qua *christus* pro mundi redemptione ad passionem properauit. cui honor &c. De oleo confirmat *Bern. de Breydenbach* in Itinerario *Mogunt.* 1486. f. et alias edito. Quid vero in uniuersum de his Actis sentiendum, praeclare, ut solet, statuit *Adr. Bailletus* in *Vies des Saints* T. III. *Paris.* 1704. *Mois de Nov.* col. 397. f. In *Cod.* iis alia sed coaeva manu subscriptum est: *Domini mei ac fratres karissimi uobis certificare congratur* (congratulari?) *animus meus &c.* Nam uerum esse nullo modo dubitatis. quia per totam *italiam* sepe et sepius probatum est quod uita sancte *Katerine* multum adiuuat infirmantes et ibi cum magna reuerentia obseruatur. Preterea sciatis. Quod si aliqua *pregnans* sit et laboret in partu. sicuti mos est mulierum. si uitam istam secum habuerit et eam legere fecerit. procul dubio absque mortis periculo liberabitur. Censu-

ram calamus paullo recentior occupavit addendo: *Falsum est et fictitium et plusquam apocrifum.* *Adi et Cod. CCCXXVI.* Ad Historiam *Codicis* pertinent, quae p. ult. leguntur: *Iste libellus spectat ad Johannem Staffelstein vicarium ecclesie Spiren. emptus ab executoribus quondam F. Kenniken vicarii ecclesie eiusdem. Et postea decedente prefato quondam bo. me. Johanne Staffesteyn de anno domini MCCCCLIX. Conradus Stol cuius Spiren. Sororius eius et heres uniuersalis librum hunc inter alia reliqua recepit et in potestatem Rabani Stoll filii sui dedit.*

DCCLVI.

Codex membraneus lat. Sec. 427 partim XIV. partim XIII. 4. minute partim per 2. columnas, partim lineis longis exaratus, et quondam *conuentus Wienn. ordinis fratrum predicatorum in austria*, sequentia complectitur: I. *Sermo-nes aliquos modo figurativo compilatos quantum ad formam procedendi.* Themata dicas potius *Sermonum* ex aevi illius gustu multis diuisionibus, subdivisionibusque scientia, quorum primum incipit: *Debet uidere anima deuota mentaliter et extacite (ecstacice) contemplari &c.* *Leuia omnia.*

II. *fol. 23.* sequitur *Congeries* quaedam ἀνεφαλος *Exemplorum* ex omni *Historia* citatis quam plurimis *Autoribus*, puta: *Seneca, Aristotele, Valerio Max. Solino, Cassiodoro, Pompejo Trogo, Boethio, Alberto M. Augustino,*

Floro